



Anget.
~~Dubbt m~~

a. A.: 4. an 3f. 3625 (3f 2198)

m. Pm. Vg 1642 ^a
Q-K.

Z

T. q. 299.

PROPOSITIONES

DE VERA, REALI ET SVB-
stantiali præsentia Corporis & Sanguinis IESV
Christi in Sacramento Altaris, de quibus Deo Pa-
tre per Christum verum liberatorem nostrum, vir-
tute Spiritus sancti dante & gubernante, Præside
reuerendo & clarissimo viro, D. Andrea Musculo,
S.Theologiæ Doctore et Professore Academiæ Fran-
cofordianæ, & Ecclesiarum Marchiæ Superinten-
dente generali, pro licentia accipiendi gradum
Doctorum in Theologia, in publica
disputatione responde-
runt,

D. Christophorus Cornerus, S. Theolo-
giæ Professor.

D. Christophorus Albinus, Hebrææ lin-
guæ Professor.

D. Ioannes Hedericus.

D. Thomas Brendike.

Die X. Septembris.



Francofordia ad Odaram, Anno 1573.

PROPOSITIONES
DE VERA, REALI ET SUB-
stantiali præsentia Corporis & Sanguinis IE-
SUS Christi in Sacramento Altaris.

VT extet publicum testimonium nos in Ecclesia nostra retinere formam sanorum verborum, quibus Christus usus est in cœnæ institutione: atq; ut bonis & pijs doctrinæ sanæ ministris, & de præsentia Christi in sacra synaxi rectè sentientibus planum fiat, nos idem cum ipsis sentire, & ex animo abhorrere à Sacramenta riorum & Caluinistarum veterum & recentiorū prauis atq; blasphemis dogmatibus, suscepimus in hac disputatione & examine publico virorum doctorum, licentiam accipiendi gradum Doctorum in Theologia à nobis potentium, defensionem veræ, realis & substantialis præsentiae corporis & sanguinis Dei & Mariae Filij in Sacramento Altaris.

I.

Ac primum omnium improbamus sinistram & vanam, Caluinistis non parum patrocinantem opinionem quorundam, qui vt Ecclesiæ tranquillitati & concordiae consulere velle videantur, humana adducti sapientia plausibiliter quidem, sed non sine periculo admittendæ veritatis institutionis cœnæ sacræ arbitrantur, & affirmant controuersiam hanc sacramentariam nihil articulis fidei, aut Ecclesiæ symbolis derogare: & idcirco censem male eos facere, qui contradicendi studio diuersum sentientibus sese opponunt, & lites in Ecclesia mouent de rebus non adeo necessarijs, & in qui-

A 2 bus

bus debeant esse sententiae liberæ, & quemlibet posse
absq; fidei & salutis periculo, quam velit pro arbitratu
suo amplecti atq; sequi sententiam & opinionem.

II.

Nos vero non rationis iudicio, neq; nudis opinio-
nibus, sed verbi Dei autoritate in contrariam sententi-
am vocati, statuimus hanc ipsam controuersiam de coe-
na dominica omnino pertinere ad articulum fidei no-
stræ, & symboli secundam partem, quæ est de incarna-
tione filij Dei, deq; ea pie & sobrie differendum esse,
Nam destructio sublatoq; vero & sano intellectu ver-
borum Christi $\chi \tau \rho \sigma \tau \rho \mu$, & alio eoq; peregrino sim-
plicibus & significantibus verbis, quibus Dominus in
cœnæ institutione usus fuit, afficto & assumto, cœrui-
tur simul totum hoc mysterium fide adorandum.

III.

Qui ergo pië secundum scientiam zœlo se furor
bus Caluinistarum acriter opponunt, ij nobis bene re-
cteq; facere, & bonam in Ecclesia Dei mereri laudem,
neq; ullum dare scandalum, neq; Israelem conturbare
videntur, sed re ipsa testatum facere, se fœderis eorum
societatem fugere, neq; horrendos errores tacendo
conniuendoq; approbare velle.

IV.

Non enim ij leues & tollerabiles errores, sed ipsi-
simas hærebes Nestorij & Eutychis multis seculis ante
damnatas, & ex Ecclesiis eieatas atq; explosas denuo
renouatas in eisdem reuocant & introducunt.

V.

Nam dum prava & impia imaginatione fascinati
docent Christum secundum humanam naturam certo
loco

loco in cœlo circumscriptum & alligatum, in eoque usque
ad tempora restitutionis omnium mansurum esse, fit ut
veram, realem & substantialem Dei & Mariæ filij pre-
sentiam in coena pernegerint, separent atque diuellant dus
arum naturarum vniōnem ab ipso conceptionis exor-
dio, nullo vñquam seculo separabilem.

V I.

Quin & de errore in errorem prolapſi, Trinitate
in vnitate substantiae Dei sublata, quaternitatem con-
ſtituunt.

V II.

Nam Christus Deus & homo, Dei & Mariæ filius,
in una hypostasi, non in duab. ſubſtens, vbi cunq; eſt,
ibi quoq; eſt Deus & homo, totus & integer Chritus.

V III.

Dato enim uno loco in quo Deus eſſe, homo au-
tem non eſſe dicatur, diuina eſt irrefragabiliter persona;
qua vbi cunq; eſt, inseparabilis eſt, constans tota & in-
tegra ex vnitione humana & diuina natura.

I X.

Orthodoxa itaque & Catholica fide edocimur retine-
mus vniōnem hanc adorandam, ab utero matris inse-
parabilem: & credimus in conculta & indubitata fide
totum Christum eſſe in utero virginis, in horto, in cru-
ce, in ſepulchro, in cœlo & in terris, et ſic conſequenter
in coena ſacra.

X.

Et ea pietate conſtanter negamus filium hominis
cœlo capi, eiq; inclufum & certo loco alligatum teneri,
qua impietate coenæ dominicæ hostes hoc ipsum affir-
mant: & indubitanter afferimus, Christum filium Dei

A 3 & Ma-

& Mariae simul & semel, & quidem in momento oculi
in diuersis & singulis locis, vbi cuncti voluerit esse, pre-
sentem esse totum & integrum, secundum utramque na-
turam in una hypostasi subsistentem.

XI.

In hac ortho doxa confessione firmi consistentes,
& verbo Dei & docti non veremur affirmare, cum idi-
omata humanæ naturæ nostræ angustiora sint, quam ut
mirabili & rationi incomprehensibili vnioni duarum
naturarum respondeant & conueniant per omnia, fili-
um Dei in utero virginis, in unione personali, præter
proprietates naturæ humanæ, alias quoque præter natu-
rales in eam assumisse, ut sit unus Christus, unus Me-
diator & Saluator, in una persona Deus & homo, secū-
dum utramque naturam, totus & integer Christus, Dei
& Mariae filius præsens suæ Ecclesiæ, prælens in cœna,
præsens vbique suis in suo regno sibi à Patre tradito.

XII.

Ex hoc fundamento non est obscurum quam mi-
serè coœciant ignari rerum spiritualium hū, qui eo quod
Filius Dei factus sit homo, & humanæ naturæ proprie-
tates habeat, harū consideratione ipsum certo in loco
recte collocari, & cœlo capi, concludiçque ut hominem
docent atque contendunt, cum scientes nesciant, quod fi-
lius Dei non tantum dicatur in scriptura conceptus &
natus ex Maria virgine, sed de Spiritu sancto concep-
tus, virtute altissimi obumbrante Mariæ. In qua sane
conceptione & obumbratione virtutis altissimi nihil
aliud ostendit & docet scriptura, quam supra commu-
nem formationem hominis, factam formationem in
utero virginis ex Spiritu & virtute obumbrante, con-
ueni-

uenientem vnitio[n]i inseparabili hum[an]e & diuinæ na-
turæ, adiectis præternaturalibus idiomatibus, vt Deus
& homo sit unus Christus, Deus & homo in una per-
sona, naturis non diuulsis aut separatis, in suo regno se-
cundum utramq[ue] naturam ubiq[ue] præsens.

XIII.

Sic ipsi assertione physica proprietatum humanæ
naturæ fascinati gloriantur, de uictoria nondum parta,
& p[ro]ijs recte de conceptione & unione naturarum
Christi sentientibus illudunt, & mysterium hoc de cō-
ceptione ex Spiritu S. facta, & uirtute altissimi obum-
brante, quasi in eo nihil omnino momenti sit, tacite cal-
lideq[ue] prætereunt.

XIII.

Nos uero non duce ratione humanaq[ue] sapientia, sed
cœlesti lumine illustrati, & uerbo Dei edocti, fide ado-
ramus hanc mirabilem, cœlestem & rationi atq[ue] iudi-
cio creaturæ rationalis absconditam conceptionem,
formationem, & unionem duarum naturarum diuinæ
& humanæ, & ubiq[ue] scimus, ubiq[ue] agnotcimus, totum
& integrum Christum, neq[ue] eum in loco diuisum, ne-
q[ue] altera natura ab altera separata quærimus.

XV.

Hoc fundamento firmo & immoto, fide certa in-
dubitataq[ue] credimus, credentes loquimur & testamur
in cœna sacratissima, à Dei & Mariæ Filio instituta &
celebrata, & quæ celebratur atq[ue] celebrabitur in sancta
Ecclesia usq[ue] ad consumationem seculi, uerum corpus
& uerum sanguinem Iesu Christi, uere & substantiali-
ter adesse & exhiberi sumentibus, cum illis rebus, quæ
uidentur pane & uino.

Et cre-

XVI.

Et credimus ipsum sicut in cœna prima, ita nunc
quocq; suum corpus & suum sanguinem extra omnem
rationis coniecturam, mediante manu ministri, omni-
bus & singulis ad sacram synaxim accedentibus, dignis
& indignis, licet sorte inæquali sumentibus, ut canit Ec-
clesia, porrigere.

XVII.

Confitemur quoq; nitentes firmissima petra verbi
in hac cœna non aliam nos carnem, quam quæ nata est
ex Maria virgine, & passa in cruce, & resurrexit à mor-
tuis, fide & ore percipere atq; manducare.

XVIII.

Atq; vt certam ex præmissis ponamus definitio-
nem cœnæ dominicæ, dicimus, sacram synaxim esse a-
ctionem sacram, aut cultum diuinum à Christo institu-
tum, in quo Christus ipse totus & integer secundum
vtramq; naturam prælens, in terris præbet, suum cor-
pus prælens, non absens, non remotum, non certo lo-
co affixum in cœlo, verum, substantiale & naturale, &
sanguinem suum verum in pane & vino sumentibus
tam dignis, quam indignis, his quidem in iudicium, il-
lis autem in testimonium applicationis remissionis pec-
catorum & alios salutares usus & fructus.

XIX.

Execramur quoq; depravatorum cœnæ philoso-
phicas coniecturas & imaginationes de physica tantū
conceptione & formatione Christi in utero virginis,
& alias vanas ratiocinationes & dubitationes, quomo-
do Christus etiam secundum humanam naturam in tā
paruo corpore panis & vini esse possit: sed nos duce-
scriptu-

scriptura sacra, scimus nihil esse tam magnum, quin Deus sit maior, nihil tam paruum, quin Deus sit minor, nihil tam longum, quin Deus sit longior, nihil tam breve, quin Deus sit breuior, Iesus Christus verus Deus & homo, in una persona inseparabiliter existens.

XX.

Et negligentes illorum philosophicas speculations non veremur affirmare, et si fortassis parum physice, attamen Theologicè, totum Christum & integrum, in una persona esse posse in loco, secundum omnem modum philosophicum, circumscriptiue, definitiue & repletiue.

XXI.

Ac sicut credimus, Christum non dissoluta unione, neque confusis naturarum proprietatibus fuisse in lapide & ianua clausa: sic tenemus quoque Catholica fide, eius carmen & sanguinem esse in pane & vino.

XXII.

In hac simplici & vera fide aquiescimus, & eam reverentiam, potentiam & efficaciam, simplicibus & claris Christi verbis, pro ut sonant, tribuimus, & fide oreque indubitanter corpus & sanguinem eius percipimus.

XXIII.

Cum ergo ille, qui omnia potest, cui omnia cedunt, & extra cuius potentiam nihil est, dixerit in sua sacrissima coena, hoc est corpus meum; hic est sanguis meus: non patimur, neque patiemur unquam nos ullis verborum præstigijs hostium coenæ, à simplici verborum sensu de vera & reali præsentia Christi abduci auertiique.

XXIV.

Ideoque hæc verba Christi secundum genuinum, verum & grammaticum sensum accipimus: neque eis symbolicum

B

bolicum

holicum, denominatiuum, metonymicū, aut quemvis
alium sensum à sacramentarijs & caluinistis excogita-
tum & confictum, affingimus & affingi patimur.

XXV.

Curiosa autem ingenia modum & ordinem quæ-
rentia, cum nemo sit qui verbis ea explicare, ac ne cogi-
tatione quidem assequi possit, suæ relinquimus impie-
tati & blasphemæ curiositati, salutisq; periculo non du-
bio;

XXVI.

Nam hoc magnum pietatis mysterium non est sub-
iectum communi naturæ ordini: sed ratio eius in virtu-
te Christi est scientia in fide, causa in potestate, & effe-
ctus in voluntate eiusdem.

XXVII.

Sic vno quoq; ipsa patis & corporis Christi est in-
comprehensibilis: quia non est personalis, necq; natura-
lis, necq; formalis, sed sacramentalis & supernaturalis.

XXVIII.

Non enim includitur corpus Christi in panem lo-
caliter, necq; modo naturali, sed præsens est realiter &
substantialiter.

XXIX.

Necq; etiam verborum sōno corpus Christi de cœz
lo detrahitur, necq; nouum corpus fingitur: sed verum
ac viuum Christi corpus statuitur in cœna præsens rea-
liter, substantialiter & naturaliter.

XXX.

Communicantes ergo firmissima fide percipimus,
& ore manducamus verū corpus & verum sanguinem
Christi, admirando & adorando tantummodo modo.

Multo

XXXI.

Multo minus imaginamur ullam corporis distractiōnem: neq; dicimus hac arcana, præternaturali & corporali manducazione carnem Christi alterari in nobis, veletiam coinquinari.

XXXII.

Ita pernegamus quoq; Capernaiticam illam lantennam corporis Christi, & Icythicam crux Domini ingurgitationem.

XXXIII.

Similiter etiam non intelligimus præsentiam physicam, Geometricam aut Mathematicam, de paruitate aut magnitudine: sed sentimus in cœna verum corpus & verum sanguinem Christi adesse supernaturali & cœlesti modo.

XXXIV.

Ideoq; asserimus corpus Christi accipi & manducari non visibiliter, neq; sensibiliter: fatemur quidē ambas res verē & substantialiter in cœna adesse, panem & vinum sensibiliter & visibiliter, corpus vero & sanguinem Christi inuisibiliter & in comprehensibiliter.

XXXV.

Nec manducari communem panem, sed illū, cum quo verē & substantialiter adest & exhibetur uescientibus corpus Christi.

XXXVI.

Captiuia ergo teneatur ratio humana & omnis intellectus sub fide & obedientia verborum Christi, & τὸ ἔντομ verba Christi ut sonant accipiantur: immo taceat omnino mulier in Ecclesia, & digito compescat labellum philosophia, quiescant Plato & Aristoteles in hisce sacris mysterijs.

B 2

Re-

XXXVII.

Reuerenter quoque cum timore & tremore sentiamus de hoc mysterio, & dicamus cum Ecclesiæ Hymno: ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit: præstet fides supplementum sensuum defectui.

XXXVIII.

Digna veneratione & hæc verba hymni amplecta
mur contra sacramentariorum blasphemos furores:
Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides
præter rerum ordinem. Sub diuersis speciebus signis
tantum & non rebus latent res eximiae. Caro, cibus,
sanguis, potus, manet tamen Christus totus sub vtracque
specie. A sumente non concisus, non contractus, nec di-
uisus integer accipitur. Sumit vnus, sumunt mille, tan-
tum iste, quantum illi, nec sumptus absumitur. Sumunt
boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vita vel inte-
ritus.

XXXIX.

Grata itaque mente cum Ecclesia sancta, ab ipso in-
stitutionis exordio agnoscamus ac celebremus hanc im-
mensam bonitatem Filij Dei, quod sanctissimum suum
corpus, & purissimum suum sanguinem, cum nostris
corporibus multis modis pollutis, & horrendis infirmi-
tibus contaminatis coniungere non dedignatur.

XL.

Detestemur simul & veterum & nouorum sacra-
mentariorum varias & multiplices glosas & interpre-
tationes de signo, typo, figura & symbolo.

XLI.

Non enim potest inueniri locus ullus in scriptura,
qui testetur Christum non adesse in coena, vt necesse sit
ad allegorias, tropos & figuræ confugere. Pro-

XLI.

Propriissime namque Christus in cœna loqui, necque
vlla figurata locutione hunc sacro sanctum thesaurum
Ecclesiæ suæ inuoluere voluit.

XLII.

Firmissima ergo & indubitata fide apprehendamus
hæc clara & genuina verba Christi, in genuino sensu,
quem natura, v& sitata Grammatica & certa ipsorum sig-
nificatio reddit.

XLIII.

Nec falsa esse possunt verba Christi, qui est ipsa ve-
ritas: sensus vero noster & intellectus, quem non affes-
rimus ex verbo, sed inferimus & attingimus potius,
potest nos fallere, ut sanè tallit.

XLV.

Id testantur tot sensus, & diuersissimæ opiniones,
quot sunt capita sacramentariorum. Non enim de his
vnum, qui cum altero sentiat, & non potius diuersam
opinionem tueatur, inuenias.

XLVI.

Vnde facile iudicari potest ipsos agitari malo spiri-
tu, & iusto Dei iudicio confundi in sua sapientia, qua
ip̄i cœlestem sapientiam iudicant.

XLVII.

Propterea damnandus & fugiendus est quoque pra-
uus nouorum Caluinistarum intellectus, qui contra cla-
ra & perspicua Christi verba, non verentur asserere
Christum quidem verè & substantialiter in cœna, præ-
sentem distribuere suum corpus & sanguinem sumen-
tibus, sed illud tamen ita longe absens, ut cœlum à terra
distat: siccque gratia & saluifica potentia in Ecclesia sparsa
B 3 animo

animo & fide substantiam corporis & sanguinis absen-
tis percipi, sed à corporali manducazione remotissimā.

XLVIII.

Hic est vltimus in sacro sanctam Filij Dei cœnam
& blasphemus Spiritus ex tenebris suis egressus, & in
angelum lucis speciosius reliquis sacramenti hostibus
transformatus. Ideo timendum ne maiori quoq; ap-
plausu Ecclesias Christi suis fordibus contaminet: Sed
Dei & Mariæ Filius autor preciosissimi thesauri Eccle-
siæ reprimat horum & aliorum furores, & nunc Eccles-
iæ thesaurum nobis & posteris nostris integrum, in-
corruptumq; benigniter conseruet & tueatur.

QVÆSTIONES.

- I. An ascensio Christi ad cœlos quicquam deroget
præsentiae ipsius substanciali in cœna.
- II. An rectè dicatur Christum in cœna verè &
substancialiter adesse per communicationem idioma-
tum, hoc est, secundum diuinitatem, non autem secun-
dum humanam naturam assumptam.
- III. An corpus Christi exhibeat in cœna corpo-
raliter, an vero tantum efficaciter secundum virtu-
tem & efficaciam, non secundum substancialiam.
- IV. An corporalis manducatio sine spirituali pro-
fit, vel ob sit magis.
- V. An caput sextum Ioannis rectè referri possit
ad corporalem manducactionem in cœna.

An

*VI. An κοινωνία apud Paulum i. Corint. 10 sit intel-
ligenda non tantum de fructu & efficacia, sed potius
de substantia corporis Christi.*

*VII. An etiam mali & impij corpus Christi verum,
& sanguinem eius verum percipient.*

*VIII. An fides dantum vel accipientium faciat
sacramentum, vel potius sola institutio & verba
Christi.*


*IX. An adoratio Christi praesentis in cœna sit apo-
probanda.*

Antonius Moratus. Iudicium huius mundi
et iustitiae. Etiamque de utilitate mundi et
de utilitate iustitiae. Deinde de iustitia
et de utilitate mundi.

Antonius Moratus. Iudicium huius mundi
et iustitiae. Etiamque de utilitate mundi et

Antonius Moratus. Iudicium huius mundi
et iustitiae. Etiamque de utilitate mundi et

Antonius Moratus. Iudicium huius mundi
et iustitiae. Etiamque de utilitate mundi et



47 3/a, 2

AB: 47 $\frac{13}{a, 2}$

ULB Halle
002 692 066

3



S.6.



B.I.G.



PROPOSITIONES
DE VERÀ, REALI ET SVB-
stantiali præsentia Corporis & Sanguinis IESV
Christi in Sacramento Altaris, de quibus Deo Pa-
tre per Christum verum liberatorem nostrum, vir-
tute Spiritus sancti dante & gubernante, Præside
reuerendo & clarissimo viro, D. Andrea Musculo,
S.Theologiæ Doctore et Professore Academiæ Fran-
cofordianæ, & Ecclesiarum Marchiæ Superinten-
dente generali, pro licentia accipiendi gradum
Doctorum in Theologia, in publica
disputatione responde-
runt,

- D. Christophorus Cornerus, S. Theolo-
giæ Professor.
D. Christophorus Albinus, Hebrææ lin-
guæ Professor.
D. Ioannes Hedericus.
D. Thomas Brendike.

Die X. Septembris.



Francofordia ad Oderam, Anno 1573.